



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 148. Pax Venetos inter & Turcas

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. va exurget inter eos confusio. Porro a-
 A.C.1454. lia adhuc erat caussa, ob quam Æneas
 optatum desperabat belli exitum, quod
 nempe nec Italia pace integra frueretur;
 cum, sancito jam fœdere, inter Arrago-
 num Regem, & Genuenses adhuc belli
 flammæ gliscerent.

§. CXLVIII.

Pax Venetorum cum Turcis.

HIS obstaculis Æneas addit aliud ex eo
 ortum, quod Veneti comperta Con-
 stantinopolis expugnatione mox fœdus
 cum Turcis paciscerentur. Legarunt
 quippe ii Bartholomæum Marcellum ad
 Mahometem, qui nomine Reipublicæ
 cives captivos, eorumque bona bello ere-
 pta repeteret; quæ omnia perbenigne
 Venetis reddita fuere. Idem quoque re-
 fert, Marcellum novam cum Turcis pa-
 cem sanxisse, ea tamen lege, ut ipsis quo-
 que Venetis arma sumere, ac pro tuenda
 fide vires suas jungere liberum esset, si
 Christiani Principes bellum Mahometi
 nunciarent. Ex quo, inquit Æneas, pa-
 lam fit, quod Venetos omnino vocare,
 ac rogare, imo & urgere oporteat, ut
 fœdus cum Turcis in initum dissolvant;
 alias succisa cadit omnis spes de felici ex-
 peditionis successu; cum enim maxima
 suadeat necessitas, ut infideles terra, ma-
 rique

rique bello premantur, jam autem, si Itali Sæcul. XV.
 deficient, nulla navalis belli spes supere- A.C. 1454.
 rit; Veneti enim ob foedus cum Turcis
 sancitum opem ferre recusabunt; Ge-
 nuenses vero Turcis omnino tributum
 pendere, atque aliunde ab Alphonso, ne
 bellum moverent, præpediri dicuntur.
 Præter hæc cum Arragonum Rex solus
 bello navali gerendo impar, & summi
 Pontificis classis haud numerosa sit, ma-
 ritimæ expeditionis feliciter suscipiendæ
 spes penitus succisa est. Si autem ter-
 ra Turcis bellum inferatur, Mahometes
 quieto Hellesponto innumeras propemo-
 dum copias ex Asia in Græciam nullo
 ferme negotio traducet: His accedit,
 quod Castellæ, Arragoniæ, Navarræ, &
 Lusitaniæ Reges voluntate & opinione
 inter se dispares sint.

§. CXLIX.

*Contentiones inter Joannem Navarræ
Regem, ejusque Filium.*

Videbantur equidem dissidia inter Ca-
 stellæ & Arragoniæ regna quodam-
 modo composita: ast acriore adhuc con-
 tentione collidebatur Navarræ Regnum,
 ubi nimirum Joannes Rex, & Carolus
 Vianæ Princeps ejusdem Filius capitales
 inter se inimicitias fovebant. Carolus Maria. lib.
 a potissima Procerum parte maximi ha- -22. c. 15. § 19.

D d 3

bebatur,